

tem, ubi jus propter speciales rationes aliud non disposuit; quod additur propter casus n. 92. afferendos. Alioquin enim ratio per Papam allegata nihil probaret: quinimo Pontifex adduxisset pro ratione suae constitutionis idipsum, de quo controvertatur; quod dicendum non est. Confirmatur idipsum: quia dispensatio est actus jurisdictionis: atqui nemo potest per se, et directe, jurisdictionem erga seipsum exercere, l. penult. ff. de Receptis arbitris, cum similibus.

92. *Et quomodo praelati possint suis confessoris committere, ut se absolvant, vel secum dispensent. Et quid dicendum de Papa?* — Nec urget, quod praelati possint suis confessoris committere, ut se absolvant, aut secum dispensent in omnibus illis casibus, in quibus ipsi cum subditis dispensare, vel eos absolvere possunt, cap. ult. de Penitent. et remission. et tenet communis doctorum: et hoc ex eo, ne alioquin praelati sint deterioris conditionis, quam subditi. Respondent enim canonistae, quod in tali casu confessorius a praelatis electus procedat non ut merus commissarius, et delegatus ipsius (prout tamen fieret, si collator beneficii ab alio a se delegato institueretur) sed absolvat tunc praelatum ut delegatus Papae, juxta textum cit. cap. ult. de Penitent. et remission. ibi: « Permittimus episcopis, et aliis praelatis, ut etiam praeter sui superioris licenciam sibi possint eligere confessorum. » Aut, si de Papa urgeatur difficultas, aiunt, quod confessorius ipsum absolvat, vel cum eo dispense ut delegatus Christi, ejusque auctoritate fungens: supposito tamen, quod Papa se illi voluntarie subiciat. Et hanc sententiam sequitur Abbas cit. cap. ult. n. 6. h. t. et Pirhing h. t. n. 18. aliique plures praesertim canonistae.

93. *Proponitur sententia theologorum, affirmantium, Papam, et alios praelatos posse secum dispensare in iis, in quibus possunt dispensare cum subditis suis.* — Oppositam sententiam, videlicet, non solum Romanum Pontificem posse erga seipsum dispensare in omnibus iis, in quibus potest cum suis subditis; sed etiam episcopos, aliosque praelatos, tanquam probabiliorem amplectitur Sanchez, l. VIII. de Matrimon. disp. 3. n. 6. et seqq. citans d. Thomam, 4. dist. 20. q. 1; Sotum, 4. dist. 21. q. 1. art. pluresque alios, et sequuntur passim theologo. Ratio hujus sententiae fundamentalis est: quia jurisdictio

ista secum dispensandi non est contentiosa, de qua loquitur textus in l. un. c. Ne quis in sua causa, etc. ubi dicitur: « Nemo est Judex in causa propria. » Sed est jurisdictio voluntaria, in qua potest quis plurium vices sustinere, dummodo exercitium unius actus non obstet exercitio alterius: ut l. un. ff. de Offic. consul. ubi consul apud semetipsum potest manumittere servum suum. Et l. Si Consul. ff. de Adoptionib. ubi si filius sit praeses, potest seipsum emancipare, aut in adoptionem dare. Omittuntur aliae similes probationes, atque instantiae, apud Sanchez loc. cit. videndae. Unde.

94 et 95. *Atque horum responsio ad objectionem propositam.* — Secunda responsio ad objectionem n. 90, propositam, est plurium theologorum, qui concessio antecedente, negant consequentiam: nam de hoc (inquiunt) seu quod nemo possit se ipsum instituere in beneficio, habetur specialis dispositio in cit. cap. ult. h. t. eo quod sibi ipsi conferre beneficium, sapiat ambitionem. Dum autem contra hanc theologorum sententiam urgetur ratio, et textus saepe dicti cap. ult. h. t. ibi: « Cum inter dantem, et accipientem, debeat esse distinctio personalis. » Respondendum ait Sanchez cit. lib. VIII. de Matrimon. disp. 3. n. 9. hanc rationem non esse generalem; ut constat ex textibusnum. praeced. in contrarium adductis: sed esse specialem in illo casu, ut videtur iniquum ambitionis exemplum in praelatis. Quod amplius probatur tum ex can. In scripturis. 8. q. 1. ibi: « Locus regiminis desiderantibus negandus est, » tum ex c. Per nostras 26. de Jurepatronat. ubi decernitur, nullum posse seipsum ad dignitates praesentare; quia (inquit Pontifex) « nullus se ingerere debet Ecclesiasticae praelat. Officio. »

Neque insuper obstat praefatae sententiae, quod nemo se ipsum baptizare, vel sacramentaliter absolvere possit, etc. cum, tamen hi actus sint jurisdictionis voluntariae. Respondent enim theologo, hoc esse speciale in sacramentis, et aliis hujusmodi, in quibus jure divino requiritur distinctio personalis inter dantem, et accipientem: quanquam in sacramento poenitentiae idem poenitens simul sit et reus, et accusator, et testis. Quod si simile quid reperitur in humanis, id pariter (inquit Sanchez) erit speciale in eo casu, ob specialem juris dispositionem: qualis tamen non habetur in dispensatione erga seipsum exercenda. Quod autem in contractibus civilibus, v. g. inter ementem et vendentem,

TITULUS VIII.

De concessionem Praebendae et Ecclesiae non vacantis.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Visum est in titulo praecedenti de institutionibus: sed quia nonnunquam aliqui instituntur praepropere in praebendis, seu Ecclesiis nondum vacantibus, vel saltem de illis in posterum concedendis fit promissio, antequam vacent; quandoque vero beneficia, dum vacent, debito tempore non conferuntur: ad utrumque horum incommodorum excludendum merito praesens rubrica subjungitur. Unda materias ad eadem pertinentes, majoris claritatis gratia dividendo in paragraphos sit:

§ I.

DE TRIPLICI VACATIONE BENEFICIORUM, ET OB QUAM IPSARUM BENEFICIA CONFERRI POSSINT, AC DEBEANT?

2. *Beneficia generatim possunt intelligi tripliciter vacare.* — Queritur I. Quibus modis generatim intelligantur vacare beneficia ecclesiastica? Resp. I. Beneficia generatim loquendo possunt intelligi tripliciter vacare; nimirum, *De facto tantum, De jure tantum, et De jure ac de facto simul.* Ita Hostiensis in Summa. h. t. n. 1; Rebuffus in Praxi benefic. tit. Requisite ad collationem bonam, etc. n. 56, 57 et seqq.; Garcias, part. XI. de Benefic. cap. 1, n. 2; Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 15, § 1. et 3. et 4 et 5. et alij passim; idque declaratur inductione. Siquidem

3. *De jure et de facto simul.* — De jure ac de facto simul vacat beneficium quando nullus adest, apud quem remanet jus aut possessio ejus. Sic vacat beneficium ecclesiasticum per mortem naturalem beneficiati, vel per legitimam privationem, seu depositionem, aut liberam resignationem ipsius. Et haec vacatio, est proprie dicta et plena vacatio beneficii, ex qua potest, ac intra debitum tempus debet alteri beneficium conferri.

4 et 5. *De facto tantum et de jure tantum.* — De facto tantum vacat beneficium, quando pro nunc nullus adest illud actualiter possidens, adest tamen, qui jus seu titulum habet ad ejusmodi beneficium. Sic accidit, quando

necessario requiratur distinctio personalis, id provenit ex ipsa natura talium contractuum, utpote qui alioquin forent nugatorii, et inutiles: haec autem ratio rursus cessat in dispensatione erga se ipsum exercenda, quae proinde fieri posse videtur. Ita Sanchez, pluribus istam sententiam declarans.

96. *Papa potest secum dispensare in omni jure positivo humano. Et an possit se a proprio juramento absolvere?* — In praxi videtur dicendum primo, quod Papa possit secum ipso dispensare in omni jure positivo humano: nam Papa secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare, c. Proposuit. 4. de Concessionem. praebend. Et quia ipse non habet superiorem in terris, non ligatur jure pontificio, quod exigit distinctionem personalem inter dantem, et accipientem. Felinus cap. 1. n. 33. de Constitut. Sanchez cit. lib. VIII. disp. 3. n. 5. citans alios, qui veluti quid speciale asserunt, posse Papam, se a proprio juramento absolvere, eo quod careat superiore. Quanquam alii apud Felinum cit. n. 33. istud negent, graviter inventes in Gregorium XII. qui se ipsum absolverat a juramento, quod praestiterat de renuntiando papatu.

97. *Episcopi, aliique patroni, possunt uti dispensatione generali, quam concedunt civitati, vel toti conventui.* — Dicendum secundo, quod episcopi, aliique praelati, indubitanter possunt uti dispensatione generali, quam concedunt civitati, vel toti conventui, tum quia hoc non est dispensare directe secum ipso, seu exercere jurisdictionem in se ipsum: sed solum uti dispensatione ex legitima causa toti communitati facta, cujus ipsi sunt pars, et caput; tum quia episcopi, aliique praelati, non debent esse deterioris conditionis, quam eorum subditi, cum quibus ipsi dispensant. Sanchez cit. dist. 3. n. 2. et 8. et 9. allegans communem.

98. *Sententia theologorum est probabilis; canonistarum probabilior, juri conformior, et tutior.* — Dicendum tertio, quod quidem sententia theologorum, asserentium, quod superior possit secum ipso directe dispensare, sit probabilis, et in praxi iuta: nihilominus sententia negativa canonistarum sit probabilior, juri conformiter, et in praxi tutior, sicque merito retinenda.

beneficiatus est vi dejectus, vel injusto modo adactus ad beneficium relinquendum, quod necdum ab alio possidetur: tunc enim de facto, seu actualiter Beneficium illud a nemine possidetur, licet injuste expulsus adhuc retineat jus in ipso. Aliud hujus exemplum ponit Abbas in c. *Cum nostris*, n. 18. h. t. de eo, cui absentis collatum est beneficium, quod ab ipso nondum est acceptatum: quia, licet illi absentis jus ad rem respectu beneficii acquisitum fuerit, sicque istud alteri conferri nequeat, c. *Si tibi absentis*. 17. de Præbend. in 6. adhuc tamen vacat de facto, seu quoad possessionem, utpote a nullo adhuc apprehensam.

Tandem de jure tantum vacat beneficium, quando aliquis illud possidet, sed injuste. Idque variis modis potest contingere, ut puta, quia collator non habuit jus conferendi; vel quia recipiens fuit inhabilis ad beneficium recipiendum; aut quia propter pacificam assecutionem alterius beneficii incompatibilis vacat prius ipso jure, quod tamen adhuc detinetur una cum posteriori; et multis aliis hujusmodi modis. Unde

6. *Beneficiorum vacatio in specie potest accidere pluribus modis. Remissive.* — Resp. II. Vacatio beneficiorum in specie potest accidere pluribus modis; ut puta, per mortem naturalem, per renuntiationem, per pacificam adeptionem alterius beneficii incompatibilis, per ingressum religionis professione secuta, per non promotionem ad sacerdotium intra annum loquendo de Ecclesia parochiali, et aliis hujusmodi modis, quorum triginta enumerati fuerunt superius tit. V. de Præbendis, § 12, a n. 343 usque ad n. 367, qui proinde ibidem videri poterunt.

7. *Qualiter oporteat vacare beneficia, ut aliis conferri possint, ac debeant? Beneficia inferiora de jure et facto simul vacantia, debent conferri intra semestre a die notæ vacationis. Qui nescit, potestatem experiendi non habet.* — Quæritur II. Qualiter oporteat vacare beneficia, ut aliis conferri possint, ac debeant? Resp. I. Beneficia inferiora de jure et facto simul vacantia, possunt, ac debent aliis idoneis clericis conferri, et quidem intra semestre a die notæ vacationis computandum. Ita communis; et habetur expressum in c. *Nulla*. 2. § *Cum vero*. h. t. ibi: « Cum vero præbendas ecclesiasticas, seu quælibet officia, in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso: sed infra sex menses personis, quæ digne administrare valeant, conferan-

tur » Concordat c. *Quia diversitatem*. 5. § fin. h. t. ibi: « Semestre autem tempus non » tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ ipsius potius volumus computari. » Id ipsum habetur c. *Licet*. 3. de Supplend. negligend. prælat. Nec immerito semestre illud computandum dicitur a tempore notitiæ: is enim, qui nescit, potestatem experiendi (vel conferendi beneficium) non habet, l. *Annus*. ff. de Calumniat. et can. *Biduum*. 2. q. 6.

8. *Episcopatus, et Ecclesiæ regulares, etc., vacare non debent ultra trimestre. Alias devolvitur potestas eligendi, vel conferendi ad superiorem.* — Additur notanter in conclusione, « Beneficia inferiora; » etc. Nam illud semestrale tempus, quod conceditur ad conferendum beneficium vacans, procedit solummodo quoad minores dignitates, personatus, et beneficia inferiora: non vero quoad episcopatus, et archiepiscopatus, juxta textum expressum in c. *Dilectus filius*. 12. juncta Glossa §. *Extendi*. h. t. Idque ampliatur ad Ecclesias regulares, per obitum suorum prælatorum viduatas, c. *Ne pro defectu*. 41. de Electione, estque jam dictum supra l. I. tit. IV, de Electione, § 11. n. 278. et seqq. extendendo istud ad prælatos collegiatarum Ecclesiarum, qui ordinariam et generalem jurisdictionem in clericos suæ Ecclesiæ exercent. Qualiter autem in casu negligentiae eligendi, vel conferendi beneficium intra debitum tempus, devolvatur potestas eligendi vel conferendi ad superiorem, dictum est supra cit. lib. I. tit. X. de Supplenda negligentia Prælatorum, § 2, numer. 22. et seqq. et lib. III. tit. V. de Præbendis. § 7, n. 182, 184. et seqq.

9. *Beneficium etiam de jure tantum vacans, potest, et debet conferri intra semestre. Nequit tamen alter in ejus possessionem induci non vocato priore possessore.* — Resp. II. Etiam beneficium de jure duntaxat vacans potest, et habita notitia vacationis debet conferri intra tempus a jure præfixum, puta semestre, non obstante alterius detentione: ita tamen, ut ille, cui collatum fuit beneficium, in actualem hujus possessionem non debeat introduci priore possessore non vocato. Ita Garcias, part. X. de Benefic. cap. 1, n. 40, 41, et 46. citans Rotam. decis. 9. in antiq. et alios, cum communi. Et quidem prima pars patet ex c. *De multa*. 28. § *Is quoque, de Præbend.* ubi in casu recepti per clericum secundi beneficii incompatibilis, non solum clericus ejusmodi ipso jure privatus existit priori beneficio, sed etiam collator ordina-

rius illud prius libere conferre potest, ac debet: adeo, ut si intra sex menses non contulerit, puniatur, ut ibi. Altera pars constat ex c. *Licet episcopus*. 28. eod. in 6, junctis dictis supra tit. V. de Præbendis, § 11. n. 332. usque ad num. 337, ubi præsens conclusio quoad utramque partem amplius declaratur.

10. *Beneficia de facto solum vacantia non possunt aliis conferri.* — Resp. III. Beneficia de facto duntaxat vacantia non possunt conferri. Ita Abbas cit. c. *Ad nostram*. n. 18, h. t., id probans ex c. *Si tibi absentis*. 17. de Præbend. in 6. Zoësius, h. t., n. 2; Engel, eod. n. 2; Pirhing, h. t., n. 19, et communis. Ratio est, quia hujusmodi beneficia, utpote de jure ad aliquem pertinentia, revera non vacant: nam beneficium dicitur illius, qui jus habet in eo. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 15, § 1. n. 18. Simulque per solam collationem acquiritur jus plenum, et perfectum in beneficio, quamvis possessio ejus nondum fuerit capta, cap. ult. in fin. h. t., in 6. estque jam dictum supra tit. præced. n. 77. et 78. Unde et injuste expulsi a suis beneficiis, horumque possessione violenter privati, habent regressum ad illa, cap. II. et seqq. *De iis quæ vi metusve causa, etc.* Quinimo, qui scienter recipiunt beneficium alteri injuste ablatum, censentur intrusi, juxta dicta superius tit. V. de Præbendis. § 17, n. 520. Sicutque ecclesiastica communione pellendi, atque deponendi, can. *In primis*. 2. q. 1. et cap. I. juncta Glossa §. *Pellendi*. et doctoribus ibid. h. t.

11. *Beneficium de jure duntaxat vacans impetraturus a Papa, tenetur facere mentionem de possessione alterius colorata; alias rescriptum desuper impetratum non valet.* — Quæritur III. An beneficium de jure duntaxat vacans impetraturus a Papa, teneatur facere mentionem de possessione alterius? Resp. I. Si quis beneficium de jure vacans, sed ab alio colorata possessione adhuc detentum, per rescriptum a Papa impetrare velit, tenetur is in sua supplicatione de prædicta possessione alterius facere mentionem: alioquin rescriptum desuper impetratum censetur subreptitium. Itaque resumitur ex c. *Cum nostris*. 6. h. t. ubi Glossa §. *Falsi suggestionem*. et Abbas, n. 1. et 16. et Barbosa, in *Collectan.* ibid. n. 2; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 15, § 1, n. 64. et 65; Garcias, part. X. de Benefic. cap. 1, n. 48; Pirhing, h. t., n. 19; Engel, eod. n. 3; Sannig, ibid. cap. III. n. 5. et alii. Accedit ratio, quia be-

neficium vacans de jure tantum, non potest simpliciter et absolute dici vacare, eo quod adhuc possideatur ab alio: unde supplicans pro obtinendo tali beneficio, veluti vacante, nullaque facta mentione possessionis alterius, committit sub vel obreptionem « per falsi suggestionem, et veri suppressionem; » prout notatur in cit. c. *Cum nostris*. § *Auditor*. h. t. Etenim, si mentio fieret de colorata alterius possessione, forsitan Pontifex retraheretur, vel saltem tardior atque difficilior redderetur ad conferendum beneficium, donec illius coloratæ possessionis causa plenius examinaretur.

12. *Secus, si possessio alterius sit notorie injusta. Possessio colorata, quæ? — Additur notanter in data conclusione, « colorata possessione, » etc. Per quam intelligitur talis possessio, quæ est prætensa ex legitimo, seu a jure non est cassato titulo, qui tamen hic et nunc reipsa non est verus: ut puta, quia possessionem beneficii quis recipit a collatore ordinario, nec est notorie invalida, quamvis ad occultum defectum non subsistat: prout et casus in sæpe dicto c. *Cum nostris*. et notat Abbas, ibid. n. 17. et 23. h. t. Nam ubi possessio alterius est notorie injusta, et invalida, valet rescriptum etiam non facta mentione ipsius, ut inquit Abbas, loc. cit. n. 16. Rationem dat: quia illud tacitum invalidat rescriptum, quo expresso Papa non dedisset litteras, vel non ita de facili, c. *Super litteris*. 29. et c. *Postulasti*. 27. de Rescript. Sed expresso, quod quidem alius sit in possessione beneficii, possessio tamen ipsius sit evidenter injusta et invalida, Papa non fasset motus ad denegandas litteras, vel ad eas difficiliter dandas: quin imo hoc expresso, atque probato eas facilius dedisset, ne notorie intrusus diutius occuparet beneficium ecclesiasticum; ergo. Concordat textus in c. *Litteras*. 9. h. t. ubi Rescriptum a D. clerico super præbenda Bremensi impetratum censetur validum (nam in fine Papa mandavit eidem D. clerico præbendam conferri) haud obstante, quod præbenda illa de jure tantum, non autem de facto vacasse; neque istud fuisset expressum in supplicatione summo Pontifici porrecta, sed simpliciter dictum, quod vacaret. Quia, ut ibid. n. 4, notat Abbas, possessio illa non erat colorata, sed evidenter injusta: siquidem color ejusdem erat cassatus a jure, c. *De multa*. 27. de Præbend.*

13. *Eadem conclusio patitur alias limita-*

tionem. — Resp. II. Patitur nihilominus data n. 11. Conclusio quasdam limitationes, danturque nonnulli casus, in quibus taciturnitas præhabitæ ab alio possessionis facti non vitiat rescriptum ad beneficia impetratum. Ita communis; idque probatur inductione. Sic imprimis præter possessionem facti notorie nvalidam, seu non coloratam, juxta proxime dicta.

14. *Nempe quando rescriptum Papæ continet clausulam: Motu proprio. Motus proprius tollit subreptionem.* — Limitatur dicta conclusio, quando rescriptum Papæ continet clausulam, « Motu proprio. » Nam motus proprius tollit subreptionem, c. *Si motu.* 23. de *Præbend.* in 6. sicque tenet ejusmodi rescriptum, atque collatio beneficii per illud obtenta, non obstante taciturnitate possessionis facti, etiam coloratæ. Abbas, c. *Cum nostris.* n. 19. et Barbosa, ibid. n. 2, h. t.; Garcias, part. X. de *Benefic.* cap. 1. n. 49; Menochius, l. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 201, n. 142. citans alios. Neque enim verisimile est, quod Papa motu proprio conferens beneficium, non fuisset illud collaturus, si præscivisset, possessionem alterius veram et legitimam non esse, licet extiterit colorata.

15. *Item, quando rescriptum Papæ continet clausulam: Amoto quolibet illicito detentore.* — Limitatur secundo, quando rescriptum Papæ continet clausulam, « Amoto quolibet illicito detentore: » nam, ubi apponitur hæc clausula, satis videtur mentio facta coloratæ duntaxat, atque re ipsa injustæ possessionis alterius, hæcque censetur exclusa. Abbas, loc. cit. numer. 21; Menochius, d. cas. 201, n. 144, citans Rotam decis. 38. et decis. 69. de *Rescript.* in antiq.; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 15. §. 1. n. 68. Barbosa, tract. de *Clausulis usu frequent.* claus. 7, n. 2. citans alios.

16. *Dummodo hæc clausula sit posita in litteris gratosis, et non tantum in executione gratiæ.* — Notant tamen allegati doctores, quod præfata clausula tollat quidem vitium taciturnitatis coloratæ possessionis alienæ, quando est posita in litteris gratosis, seu in dispositione gratiæ: secus vero esse, si ponatur tantum in executione gratiæ. Etenim illa, quæ apponuntur in executione gratiæ, non firmannt gratiam adversus vitium subreptionis, arg. Clem. I. in fin. de *Præbend.* ac notant Abbas, Menochius et Barbosa, ubi supra, n. 3, allegans alios; atque exinde n. 4, subjungens, quod executor debeat co-

gnoscere de colore tituli, non obstante clausula ista.

17. *Aliæ limitationes. Remissive.* — Tacentur nonnullæ aliæ limitationes præfate conclusionis, quarum universi septem adducit Menochius, d. cas. 201, n. 140, et seqq. Et quia hodie de stylo Curia solet in talibus rescriptis plerumque apponi aliqua dictarum clausularum, et præsertim illa, « Amoto quolibet illicito detentore: » hinc dicta n. 11. Conclusio in praxi vix amplius habet locum.

§ II.

DE CONCESSIONE, AC PROMISSIONE BENEFICIORUM NON VACANTUM: UBI ET DE CANONICIS SUPERNUMERARIIS.

18. *Beneficia nondum vacantia nec concedi possunt per prælatos Papa inferiores, nec promitti.* — Quæritur I. An beneficium nondum vacans concedi, vel saltem promitti valeat? Resp. I. Beneficia nondum vacantia nec concedi possunt per prælatos Papa inferiores, nec promitti. Textus est expressus in c. *Nulla.* 2. h. t. quod est desumptam est concilio Lateranensi, celebrato sub Alexandro III. et sic sonat: « Nulla ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent: Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, et beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur inhibutum, turpe est, et divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei, futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt. » Hæc ibi: juncta Glossa 7. *Condemnare*, plures ejusmodi leges civiles allegante. Concordat c. *Relatum.* 3. et c. *Ex tenore.* 13. h. t. et c. *Detestanda.* 2. eod. in 6. et novissime concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XIX. de *Reform.* atque amplius patebit ex dicendis in progressu: quanquam præmissa conclusio solum procedat de Prælati Papa inferioribus: nam secus esse dicendum de Papa, expresso dicitur infra n. 40. et seqq.

19. *Beneficii vacaturi promissio nihil valet, nullamque inducit obligationem.* — Resp. II. Beneficii vacaturi promissio nihil valet nullamque inducit obligationem. Ita communis; atque patet ex d. c. *Ex tenore.* 13. h. t. et c. *Detestanda.* 2. h. t. in 6. In quo posteriori

§ II. DE CONCESSIONE AC PROMISSIONE BENEFICIORUM NON VACANTUM, ETC. 37

loco quælibet promissio vacaturi beneficii reprobatur, sequentibus verbis: « Nos malis hujusmodi, et animarum periculis occurrere volentes, promissiones easdem, et alias quascunque, sub quovis modo, aut forma verborum de cætero faciendas, per quas directe vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate apostolica penitus reprobamus, et omnino viribus vacuum: decernentes, per eas, vel ipsarum aliquam, ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari. » Hæc ibi. Accedit ratio, quia, cum promissiones beneficii vacaturi sint contra jus commune, atque expressam prohibitionem concilii generalis, in c. *Nulla.* 2. h. t. relati, cum similibus; hoc ipso nulla ex ipsi oriri potest obligatio, juxta cap. ult. de *Pactis*, ibi: « Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit. » Concordat reg. 64. jur. in 6: « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. »

20. *Etiamsi data fuisset in scriptis.* — Atque istud ampliatur ad illum casum, quo ejusmodi promissio beneficii vacaturi data fuit in scriptis. Nam talis promissio, etiam scriptio consignata, atque in judicio producta, non tenet, neque promittentem obligat; eo quod attentata fuerit contra statutum concilii generalis proxime relati, text. clar. c. *Ex tenore.* 14. h. t.

21. *Neque obstat appellatio in contrarium.* — Nec obstat appellatio eorum, quibus promissa fuerunt beneficia necdum vacantia. Adhuc enim hac non obstante possunt, et debent eadem, postquam vacaverint, personis idoneis conferri. Textus est in c. *Relatum.* 3, h. t., ibi: « Cum in Lateranensi concilio promissiones factæ de Ecclesiis non vacantibus sint cassatæ: prætextu appellationis eorum, qui dictis promissionibus innituntur, omitti non debet, quin Ecclesiæ, cum vacaverint, de personis idoneis ordinentur. » Hæc ibi. Nec immerito; nam appellatio censetur frivola, et iniqua, quæ fit contra jus clarum; sicque ipsi non est deferendum, arg. c. *Consuluit.* 29. juncta Glossa fin. de *Appellat.* et c. *Relatum.* 4. de *Cleric. non resident.* estque jam dictum supra lib. II. tit. XXVIII. de *Appellationibus.* § 11. n. 308.

22. *Solvitur notabilis instantia, desumpta ex c. Accedens h. t. quod postea fuit correctum.* Concordat tempora, et concordabis jura. — Objicies breviter contra præmissam con-

clusionem. In c. *Accedens.* 14. h. t. obligatur prælatus promittere beneficium sub hæc forma, *Cum poterit: vel, Cum facultas se obtulerit.* Quia, ut inquit Pontifex ibidem, « aliud est, prælatum promittere beneficii collationem, *Cum poterit;* aliud, *Cum vacabit;* cum in multis casibus se facultas offerre posset, in quibus collatio non esset in expectatione vacaturi beneficii differenda: » ergo data conclusio non subsistit. Resp. cum Fagnano in c. *Nulla.* n. 6, h. t. et aliis, quod beneficium promittens dicto modo, olim quidem fuerit obligatus; hodie vero non: idque fit propter novam constitutionem Bonifacii VIII. in c. *Detestanda.* 2, h. t., in 6. relata. Ibi quippe prior illa constitutio expresse revocatur, ob plurima incommoda, et gravamina inde subsequenda; et omnes omnino promissiones: tam sub prædicta, quam quacunque alia verborum forma conceptæ, « per quas directe, vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate apostolica penitus reprobantur, et omnino viribus vacuum. » Unde impræsentarium subintrat illud vulgatum: « Concordat tempora, et concordabis jura. » Glossa can. *Si Ecclesia.* 23. q. 4. 7. *Temporibus.* et communis.

23. *An, et qualiter, præmissis non obstantibus, possint recipi canonici supernumerarii cum expectatione futuræ præbendæ?* — Quæritur II. An, et qualiter, præmissis non obstantibus, possint recipi canonici supernumerarii, cum expectatione futuræ præbendæ? Resp. I. Quæstio hæc notabilem continet instantiam contra proxime dicta de prohibita promissione, hujusque invaliditate quoad præbendam, seu Ecclesiam non vacantem: talem enim promissionem videtur involvere receptio canonicorum supernumerariorum, cum expectatione futuræ præbendæ.

24. *Posse fieri talem canonicorum supernumerariorum receptionem probatur ex consuetudine, etiam Romæ vigente.* — Et quidem, quantum attinet priorem partem propositæ quæstionis, posse fieri dictam canonicorum supernumerariorum receptionem; suadet praxis et consuetudo passim recepta in Ecclesiis cathedralibus, atque collegiatis. Et talem consuetudinem, vi cujus canonici recepti, infra certum tempus, et aliquando ad annum, aliquando ad duos vel plures annos, non possunt petere portiones suas, sive præbendam; etiam obtinere Romæ, et quidem approbatam, testatur Innocentius in c. *Dilectus filius.* 19. vers. *Et quod diximus.* et Joan.